

*Sed quid dicat Scriptura.* Hæc unice est consulenda in doctrinâ fidei. Ex hac respondendum est ad quæstiones Theologicas. Secus facientes sunt filii Agar, sunt filii ex monte Sinâ, sunt filii Jerusalem terrestris. Quod si rectius perpendere mortales, non tam prompti essent in iudicando de rebus spiritualibus; neque tot iudicia sinistra, & temeraria contra expressum Christi mandatum apud Nos quoque audirentur de rebus theologicas. Quomodo enim quis potest iudicare sine Scripturâ de eo, quod non intelligit? Berrhoenses quotidie scrutabantur tempore Apostolorum Scripturam, utrum ea ita sese haberent, quæ Paulus ipsis annunciaret Act. XVII. v. II. Qvis autem nostris temporibus, ex amore veritatis divinæ, & suæ salutis Berrhoenses imitatur?

II. Argumentum falsorum Doctorum invertendo, & sequenti modo ex præcedentibus colligendo, & concludendo;

*Galatæ credentes nolunt esse sub lege, cum falsis Doctoribus, eorumque vocem audire; sed volunt esse sub gratiâ, & filii promissionis.*

*E. Galatæ credentes non sunt filii ancillæ; sed libera, & per promissionem Evangelicam veri filii, & hæredes futuræ gloriæ.*

*Consequens proponit, & probat suo, & fratrum spiritualium testimonio, Ergo Nos, fratres mei, non sumus filii ancillæ; sed filii libera, quod proponit v. ultimo. Ἄρα, ἀδελφοί, ἐκ ἰσμεν παιδίσκης τίκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας.* Ubi Apostolus Galatas Credentes erigit, & consolatur, ut in afflictionibus, & persecutionibus, quas sustinent, ob veritatis Evangelicæ confessionem, sint bono animo. Quemadmodum enim Isaacus, quem Ismael persecutus est, factus est hæres paternorum bonorum, per promissionem; ita quoque omnes verè credentes, quos filii Agar persequuntur, sunt filii libera, & per promissionem gratiæ tam hæredes bonorum cœlestium,

¶) ○ (¶

Coll. diss. A

158, 9